

1377

## P O L E M I C I

1378

roque perscriptus hunc Titulum praefert: *Wahre Beschreibung der Catholischen und Apostolischen Orientalischen Kirchen Laurentii Normanni aus dem Lateinischen in das Teutsche übersetzt von Philippo Schwarz. Anno MDCCL.* Parum culta Schwarzii hujus, quisquis ille fuit, Versio jam in Titulo peccat; non enim Liber, quem prae oculis habemus, *Descriptio* est Orientalis Ecclesiae, neque autorem habet *Laur. Norrmannum Stregnesium Suecum*, sed est *Ορθοδοξος Ομολογια της καθολικης και αποστολικης Εκκλησιας της Ανατολικης*, seu *Orthodoxa Confessio catholicae atque apostolicae Ecclesiae Orientalis κατηχητικως III. Libris* jam olim composita a *Petro Mogila Metropolita Kioviensi* in usum Ecclesiae *Russicae* (των Ρωσων) mox a *CPolitanis* adoptata, et sumtibus *Panagiotae Nicosii Aulae Turcicae Interpretis Amst.* 1662. primum edita, et quidem, ut loquitur in praevia ejus commendatione *Nestarius Patriarcha Hierosolymitanus*, *κατα την ήμων τε και των Λατινων φωνην*, graece et latine. Atque ideo nec *Norrmannum*, qui eam *Lips.* 1695. edidit, primum Interpretem latinum habet, ut patet etiam ex *Adprobatione Parthenii Patriarchae CPolitani* jam a. 1643. testantis, Libellum utraque lingua e *Russia* ad se missum fuisse. Cito Patriarcharum testimonia ex *Edit. Wratislav.* hujus *Confessionis* gr. lat. et germ. 1751. 8. cui *C. Gottl. Hofmannus T. D. Witteberg.* ejus *Historiam* praefixit, in qua tamen

Editionis pure graecae *Bucaresti* 1699. f. quae mihi objacet, non meminit. Ceterum Versio germ. impressa, quam *J. Leonh. Frischius* adornavit, *Schwarzianam* ms. nostram multis parasangis antecedit.

## DCXII.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 680 XVIII. Folior. 37. f. titulum praefert: *De Veritate Religionis Catholicae*, et est *Deductio* methodo paene scholastica, syllogistica VI. *Signorum* seu *Argumentorum*, quae militant pro dicta Veritate. Dabo illa verbis Autoris: *Primum Signum — ex naturali ipsius catholicae religionis incredibilitate et modo, quo per totum mundum fuit propagata, desumitur. Secundum Argumentum — ex Doctrinae Catholicae Sanctitate, quae suos sectatores ad perfectam virtutem deducit. Tertium Argumentum — a numero Martyrum. Quartum Argumentum — a Miraculis. Quintum Signum — consensus Sapientium omnium populorum et gentium ex lege Naturae viventium. Sextum Argumentum — ab identitate Signorum seu similitudine argumentorum, quibus primitiva Ecclesia et moderna Religio Catholica probantur a Deo revelatae, et authore Deo in mundum introductae.* Ingressus est hujusmodi. *Sequuntur Argumenta et Signa, quibus significatur Catholica Religio esse revelata et praecepta a Deo. Nota, quod iterum saepiusque notavi, me non assumere hujusmodi signa*

1379

C O D I C E S

1380

signa tanquam evidentia, sed tanquam iudicia, quibus prudenter homo moveri possit ad assensum, nec singula tam verisimilia, ut sine temeritate negari non possit id, quod indicant, sed solum, quod sint aliqua signa verisimilia, et quod singula conveniant Religioni Catholicae, ita ut non conveniant ulli alteri Religioni, vel si aliquomodo conveniant, non conveniant in tam excellenti gradu, ac conveniunt Religioni Catholicae, sed longe inferiori. Auctoris nullum indicium deprehendo; temporis vero istud fol. 28. In Europa ipsa nostra aetate Neapoli frequentissima in urbe illustrissimo loco natum Marcellum Mastrillum jamjam ex vulnere moriturum comparens Xaverius momento sanitati restituit &c. Atqui is postea 1637. in Japone martyrium fecit.

## DCXIII.

R. 357\* Codex chartaceus lat. initio praesentis Seculi exaratus Folior. 190. f. Titulum praefert: *Meditationes in Verba Symboli Apostolici de Ecclesia una, sancta, catholica; ut inveniantur certa et simplicia Fidei Principia, quibus possit acquiescere animus tot Sectis distractus. Auctore Carolo Gustavo Heréo S. Cæs. Maj. Consil. et Antiquar.* Subditur: *Desideratur hujus Apographi correctio secunda.* Ita sane; nam et in ipso Textu quaedam resecta sunt, et quaedam in marginibus subpleta. Scriptas oportet fuisse has *Meditationes*

post an. 1709. quo Suecus noster Holmiensis ab obsequiis Principis Schwarzburgico Sondershusiani digressus, Viennamque delatus cum Domino Sacra etiam priora mutavit. Opus in Sectiones V. quae per Capita et §§. arcto nexu decurrunt, distributum ita orditur: *Symboli Apostolici simplices enunciationes de Ecclesia una, universali, perpetuoque mansura, si conferantur cum veritatis unius et perpetuae natura immutabili, cum divinis promissis juratis, cum legibus praeceptivis, atque cum ipsa in sensus incurrente continua Ecclesiae existentia, supervacaneum omnino videri potest institutum probaturi operose rationes, quae probatione non indigent, quibus etiam indocta omnia perpetuae Ecclesiae membra per solam Veracitatis divinae fiduciam et ipsum sensum communis in Universitate christiana veritatis tuto possunt acquiescere. Verum quoniam de tam evidentibus factis post duo fere secula nondum cavillari cessant Viri doctrinam, pietatemque profitentes, qui nullam sacro Codici divinae originis auctoritatem recusare cupiunt, qui vero principia circa Ecclesiae perennitatem omnibus communia aut negare audent, aut trahere ad minoris Partis sententias novas, discrepantesque, dum non erubescunt, Evangelii lumen supremo demum seculo sibi solis ortum vindicare, et licet dissidiorum malis obruantur, omnem, quae extra illos superest, catholicam unitatem damnare. Propterea non puto prorsus inutilem haberi posse hanc meam perquisitionem*